



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 9. Duo Legati a Latere ad utrumque Principem per Papam decreti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.

A.C. 1553.

Attamen omnes hæ rationes utriusque Principis animum nequaquam ad concordiam flectere poterant, cum illi adhucdum mutuo bello sese laceffere haud desisterent.

## §. IX.

*Duo Legati a latere ad utrumque Principem per Papam decreti.*

*Pallav. l. 13.  
c. 6. n. 1.*

Cum summus Pontifex diffidia inter eos non sine magno Religionis dispendio indies augeri cerneret, alia adhibere media tentabat, cumque vehementer optaret, ut ejus opera pax redderetur inter supremos hosce duos Principes, qui armis suis universam pene Europam devastabant, hinc duos Legatos a latere Hieronymum Dandinum ad Cæsarem, Hieronymum vero Capiteferreum ad Galliarum Regem destinabat, eoquod ambo hi Cardinales horum Principum negotia optime calle-  
rent, iisque plurimum accepti essent. His igitur injunctum, ut exponerent in utraque Aula, a Pontifice nullum aliud nisi communis Parentis commodum spectari, nulla habita consanguineorum ratione, pro quibus nec optaret, nec accepturus unquam esset a Principibus beneficium ullum: cum ipse sibi videretur obstringi ab incrementis Turcarum,

&amp;



& hæreticorum, ut non in familiæ suæ Sæcul. XVI.  
A.C. 1553.  
sed in Ecclesiæ emolumentum impenderet, quidquid gratiæ apud Catholicos Principes reperiret.

Quinimo Pontifex acriter (\*) Sanctacrucium objurgari præcepit, eo quod sæpius liberiori sermone privatis Papæ commodis favisset, unde suo nomine eidem mandari jussit Pontifex, ut deinceps ab ejusmodi verbis abstereret. Idem quoque negotium Dandino apud Cæsarem committebatur, præprimis vero eidem præceptum, ut suæ legationis seriem Atrebatensi Episcopo, qui maxima in Imperio auctoritate valebat, exponeret, huncque Ministrum piis Papæ consiliis propitium reddere satageret. Ceterum Pontifex Sanctacrucium eo ex capite redarguebat, eo quod hic sua sponte transegisset cum præcipuis Franciæ Ministris, & cum ipso Galliarum Rege, ut nimirum hic suas vires impenderet, quibus Pontifex Senas occuparet, & Ecclesiasticæ ditioni jungeret: cum id Cæsar & Italici Prin-

(\*) Hæc Continuator ex Pallavicino descripsit, qui tamen ait Sanctacrucium a Papa fuisse *suaviter* objurgatum: rationem autem hujus mutationis luculenter deprehendet Lector in ipso Pallavicino l. c.



Sæcul. XVI A.C. 1553. Principes minus ægre ferrent, quam si ea Urbs in Gallorum potestatem veniret, ac inde Rex, diminuta æmuli potentia, hæreditariam majorum gloriam auxisset, simul aucta Sedis Apostolicæ ditione.

Porro inde ortum traxit indignatio, quam hic Nuntius sibi accerserat, & forte hanc ob causam legatorum conatus suo frustrabantur successu; ambo enim crebris monitis nequidquam adhibitis Romam re infecta redire cogebantur; adeo enim mutua inter utrumque Principem fervebant dissidia, ut bellum semper eodem furore continuaretur.

## §. X.

*Terouana a Cæsare obsessa.*

*Thu. hist.*  
*l. 13.*  
*Belcar.*  
*comm. l. 26.*  
*n. 30.*  
*Sleid. comm.*  
*l. 25. p. 915.*

ENIMVERO Imperator, qui hucusque in Belgio hyberna agebat, Terouanam, urbem in Pontivensi Picardiæ Comitatu sitam cingere decreverat, ut damnum in Metensi obsidione anno priori perpeffum repararet: quam in rem præprimis Antonio Crojo Rutilii Comiti hujus expeditionis curam committit, eo autem fatis sublato, exeunte Mense Aprili id muneris Pontio Loliano Binicurtio defert. Porro Gallis minime persuaderi poterat, quod ad hujus urbis expugnationem vis verteretur,